





1. Thome Rhadini, Placenti:  
ni, oratio in Mart.  
Lutherum, Coloniae 1520
2. De Snekijs / M. Cornelys /  
sermones, Roslochi 1517
3. Hoeck Straßca / Jac: / tract.  
magistralis, de quarentibus  
auxiliam a maleficiis  
Coloniae 1510  
Legnis / Pappel /
4. Bulla contra Errores  
Mart. Lutheri et  
sequarium, Romae, 1520



# Bulla cōtra errores

MARTINI LVTHERI ET  
SEQVACIVM.






Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

# Chilarchiv

MARTINI V. THERIET  
SEOVACIAM







**LEO EPISCOPVS** ser-  
uus Seruorum Dei / Ad per-  
petuam rei memoriam.

Exurge Domine & iudica  
causam tuam / memor esto  
improperiorum tuorū / eos-  
rum quæ ab insipientibus  
fiunt tota die, inclina aurem  
tuā ad preces nostras / quo-  
niā surrexerunt vulpes que

rentes demoliri vineam / cuius tu Torcular calcasti so-  
lus / & ascensus ad patrem / eius curam / regimē / & ad-  
ministrationem Petro tāquam capiti / & tuo Vicario /  
eiusq; successoribus instar triumphantis Ecclesie cōmi-  
sisti / exterminare nititur eam A per de silua / & singulas  
ris ferus depasci eam. Exurge Petre / & p pastoralis cus-  
ra prefata tibi (vt prefertur) diuinitus demandata / intēs-  
de in causam sancte Roman. Ecclesie / Matris omnium  
ecclesiarū / ac fidei Magistre / quam tu / iubente deo / tuo  
sanguine cōsecrasti / cōtra quam sicut tu premonere dig-  
natus es / insurgunt Magistri mendaces introducentes  
sectas perditionis sibi celestium iuramentum superducentes  
quorū lingua ignis est / inquietum malū / plena veneno  
mortifero / qui Zelum amarum habentes / & contentio-  
nes in cordibus suis / gloriantur / & mēdaces sunt aduer-  
sus veritatē. Exurge tu quoq; quesum⁹ Paule / qui eam  
tua doctrina / ac pari martyrio illuminasti / atq; illustra-  
sti. Jam enim surgit nou⁹ Porphirius / qui sicut ille olim  
sanctos Apostolos iniuste momordit. Ita hic sanctos  
Pontifices predecessores nostros cōtra tuam doctrinā

A ij



eos non obsecrando / sed increpando / mordere / lacerare  
ac ubi cause sue diffidit / ad conuicia accedere non veretur,  
morem Hereticorum / quorum ( ut inquit Hieronymus )  
vltimum presidium est / ut cum conspiciant causas suas  
damnatum iri / incipiant virus serpentis lingua diffun-  
dere / & cum se victos conspiciant / ad contumelias pro-  
silire. Nam licet hereses esse ad exercitationem fidelium  
tu dixeris oportere / eas tamen ne incrementum accipiant /  
neue vulpecule coalescant in te intercedente /  
& adiuuante / extingui necesse est. Exurgat denique om-  
nis sanctorum / ac reliqua vniuersalis Ecclesia / cuius vera  
sacrarum litterarum interpretatione posthabita / quidam  
quorum mentem pater medicum excecavit / ex veteri he-  
reticorum instituto / apud semetipsos sapientes / scriptu-  
ras easdem aliter quam Spiritus sanctus flagitet / proprio  
duntaxat sensu / ambitionis aureque popularis causa / teste  
Apostolo / interpretantur / imo vero torquent & adulterant. Ita  
ut iuxta Hieronymum / iam non sit Euangelium Christi / sed  
hominis aut quod peius est / Diaboli. Exurgat inquam  
prefata ecclesia sancta Dei / & vna cum beatissimis apo-  
stolis prefatis / apud Deum omnipotentem intercedat / ut  
purgatis ouium suarum erroribus / eliminatisque a fide-  
lium finibus heresibus vniuersis / Ecclesie sue Sancte pa-  
cem & vnitatem conseruare dignetur. Dudum siquidem  
quod pre animi angustia / et merore exprimerere vix pos-  
sumus / fide dignorum relatu / ac fama publica referente /  
ad nostrum peruenit auditum / immo vere / proh dolor,  
oculis nostris vidimus / ac legimus multos & varios er-  
rores / quosdam videlicet iam per Concilia / ac predecesso-  
rum nostrorum Constitutiones / damnatos / heresim etiam



Grecorum & Bohemicam expresse continentes / alios  
vero respectiue / vel hereticos / vel falsos / vel scandalos  
fos / vel piarū auriū offensiuos / vel simpliciū mentium  
seductiuos / a falsis fidei cultoribus / qui p̄ superbam cu-  
riositatem mundi gloriam cupientes / cōtra apostoli do-  
ctrinam / plus sapere volūt / quam oporteat / quorū gar-  
rulus ( vt inquit Hieronymus ) sine scripturarū aucto-  
ritate / non haberet fidem / nisi viderētur peruersam do-  
ctrinam / etiam diuinis testimonijs / male tamen interp̄-  
tatis / roborare. A quorum oculis Dei timor recessit / hu-  
mani generis hoste suggerēte / nouiter suscitatos / & nu-  
per apud quosdam leuios in inclyta natione Germa-  
nica semiatos. Quod eo magis dolem⁹ ibi euenisse / q̄d  
eandem nationem & nos / & predecessores nostri in vi-  
sceribus semper gesserimus charitatis. Nam post tran-  
slatum ex Grecis a Romanā .ecclesia in eosdem Germa-  
nos Imperium iidem predecessores nostri / & nos / eius-  
dem ecclesie aduocatos / defensoresq; ex eis semper acce-  
pimus. Quos quidem Germanos / Catholice veritatis  
vere Germanos / constat heresum acerrimos oppugna-  
tores semp fuisse / cuius rei testes sunt laudabiles ille Cō-  
stitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate  
Ecclesie / proq; expellendis / ceterminandisq; ex omni  
Cermāia Hereticis / sub grauissimis penis / etiam amis-  
sionis terrarum / et Dominiorū / contra receptatores vel  
non expellentes olim edite / et a nostris predecessoribus  
confirmate / que si hodie seruarentur & nos / & ipsi utiq;  
hac molestia careremus / Testis est in Concilio Cōstan-  
tiē. Hussitarum ac Vuicleuistarū / necnō Hieronymi  
Pragen. damnata ac punita perfidia, Testis est totiens

A iij



cōtra Bohemos Germanorum sanguis effusus, Testis  
deniq; est predictorum errorum seu multorū ex eis per  
Colonien. et Louanien. Vniuersitates / vtpote agri Do-  
minici piissimas / religiosissimasq; cultrices non minus  
docta q̄ vera / ac sancta confutatio / reprobatio / et dam-  
natio. Multa quoq; alia allegare possemus, q̄ ne histori-  
am texere videamur p̄mittēda censuim⁹. Pro Pasto-  
ralis igit officii diuina gratia nobis iniūcti cura / quā ge-  
rimus / p̄dictorū errorū virus pestiferū vltius tollerare  
seu dissimulare / sine Ch̄ianereligiōis / nota atq; ortho-  
doxe fidei iniuria / nullo modo possum⁹. Eorum autem  
errorum aliquos presentibus duximus inferendos / quo-  
rum tenor sequitur / & est talis. **¶** Heretica sentētia est /  
sed vsitata / Sacramenta noue legis iustificantē gratiam  
illis dare / qui non ponunt obicem. In puero post bap-  
tismum negare remanēs peccatum / est Paulū et Christū  
simul conculcare. Fomes peccati etiam si nullum adsit  
actuale peccatum moratur exeuntem a corpore animā  
ab ingressu celi. Imperfecta charitas morituri / fert secū  
necessario magnum timorem / qui se solo satis est facere  
penam purgatorij & impedit introitū regni. Tres esse  
partes penitentie Contritionem / Confessionem / et Sa-  
tisfactionem / nō est fundatum in sacra scriptura / nec in  
antiquis sanctis Christianis Doctoribus. Cōtritio que  
paratur per discussionem / collectionem / & detestationē  
peccatorum / qua quis recogitat annos suos in amaritu-  
dine anime sue / ponderando peccatorum grauitatem /  
multitudinem / feditatem / amissionem eterne beatitudi-  
nis / ac eterne damnationis acquisitionem / hec contritio  
facit Hypocritā imo magis peccatorem. Verissimū est



prouerbium & omnium doctrina de Contritionibus /  
hucusq; data prestancius / de cetero non facere / summa  
penitentia / optima penitentia / noua vita . Nullo modo  
presumas cōfiteri peccata venialia / sed nec omnia mor-  
talia / q̄a impossibile est / vt omnia mortalia cognoscas  
Vnde in primitiua ecclesia solum māifesta mortalia cō-  
fitebantur . Dum volumus omnia pure confiteri / nihil  
aliud facimus / quā qd̄ misericordie Dei nihil volumus  
relinquere ignoscendum . Peccata non sunt vlli remissa  
nisi remittēte sacerdote credat sibi remitti / imo peccatū  
maneret / nisi remissum crederet / nō enim sufficit remis-  
sio peccati & gratie donatio / sed oportet etiā credere esse  
remissum . Nullo modo cōfidas absolui / propter tuam  
cōtritionem / sed propter verbum Ch̄ri / quodcūq; sol-  
ueris & c . Hic inquā confide si sacerdotis obtinueris ab-  
solutionem / & crede fortiter te absolutum / & absolutus  
vere eris / qui cquid sit de contritione . Si per impossibile  
confessus non esset contritus aut sacerdos non serio / sed  
ioco absolueret / si tamen credat se absolutum verissime  
est absolutus . In sacramento penitentie ac remissiōe cul-  
pe nō plus facit Papa / Ep̄s / quā infimus sacerdos / imo  
vbi non est sacerdos / eque tm̄ quilibet Ch̄rianus / etiam  
si mulier aut puer esset . Nullus debet sacerdoti respōde-  
re se esse contritum nec sacerdos requirere . Magnus est  
error eorum qui ad sacramenta Eucharistie accedūt hu-  
ic innixi / qd̄ sint confessi / qd̄ non sint sibi consci / alicui-  
us peccati mortalis / qd̄ premiserint orationes suas / &  
preparatoria / omnes illi ad iudicium sibi māducant / &  
bibunt / sed si credant & confidant se gratiam ibi conse-  
cuturos / hec sola fides facit eos puros & dignos . Cons



sultum videtur q̄ ecclesia in cōmuni Concilio statueret  
laicos sub vtraq̄ specie cōmunicandos / nec Bohemi cō  
municātes sub vtraq̄ specie sunt heretici / sed scismatici  
¶ Thesauri ecclesie vnde Papa dat indulgētias nō sunt  
merita Ch̄ri & sanctorum. Indulgētie sunt / pie fraudes  
fidelium / & remissiones bonorum operum / & sunt de nu  
mero eorum que licent / & non de numero eorum quæ  
expediunt. Indulgentie / his qui veraciter eas consequū  
tur / nō valent ad remissionem pene pro peccatis actua  
libus debite apud diuinam iusticiam. Seducuntur cres  
dentes indulgencias esse salutare / et ad fructū spiritus  
vtilis. Indulgentie necessarie sunt solum publicis crimin  
ibus / et proprie conceduntur duris solūmodo / et im  
patientibus. Sex generibus hominum indulgentie nec  
sunt necessarie / nec vtilis / videlicet mortuis / seu moritu  
ris / infirmis / legitime impeditis / his qui non commise  
runt crimina / his qui crimina cōmiserunt / sed non pub  
blica / his qui meliora operantur. Excōmunicationes  
sunt tantum externe pene / uec priuant hominem com  
munibus spūalibus ecclesie orationibus. Docendi sunt  
Ch̄riani plus diligere excōmunicationē / q̄ timere. Ro  
manus Pontifex Petri successor non est Ch̄ri Vicarius  
super omnes totius mūdi ecclesias / ab ipso Ch̄ro in bea  
to Petro institutus. Verbum Ch̄ri ad Petrum / q̄dcumq̄  
q̄ solueris super terram &c. extenditur dūtaxat ad lega  
ta ab ipso petro. Certū est in manu ecclesie aut Pape pr  
sus non esse / statuere articulos fidei / imo nec leges mo  
rum / seu bonorum operum. Si Papa cum magna pars  
te ecclesie sic vel sic sentiret / nec etiam erraret / adhuc nō  
est peccatum / aut heresis contrarium sentire / presertim



30 in re non necessaria ad salutem / donec fuerit per Conci-  
lium Vniuersale alterum reprobatum / alterum appro-  
batum. Via nobis facta est enarrandi auctoritatem Cō-  
31 ciliarum / & libere contradicendi eorum gestis / & iudi-  
candi eorum decreta / et confidenter confitendi / quicquid  
32 verum videtur / siue probatum fuerit / siue reprobatum  
a quocunq; Concilio. Aliqui articuli Ioannis Huis cō-  
demnati in Cōcilio Constantien. sunt Christianissimi /  
33 verissimi & euāgelici / quos nec vniuersalis ecclesia poss-  
34 set damnare. In omni opere bono iustus peccat. Opus  
bonum optime factum est veniale peccatū. Hereticos  
35 comburi est contra voluntatem spiritus. Preliari ad-  
uersus Turcas est repugnare deo visitanti iniquitates  
36 nostras per illos. Nemo est certus se non semper pecca-  
re mortaliter propter occultissimum superbie vitium.  
37 Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titu-  
lo / & dum facit quod in se est peccat mortaliter. Purgas-  
torium non potest probari ex sacra scriptura / que sit in  
38 canone. Anime in purgatorio non sunt secure de eorum  
salute / saltem omnes / nec probatum est vllis / aut ratio-  
nibus / aut scripturis / ipsas esse extra statum merendi /  
40 aut augēde charitatis. Anime in purgatorio peccant si-  
41 ne intermissione / quamdiu querunt requiem / & horret  
penas. Anime ex purgatorio liberate suffragiis viuens-  
tium minus beantur quam si per se satis fecissent. Prela-  
ti ecclesiastici / & principes seculares non malefacerēt si  
omnes saccos mendicitatis delerent. ¶ Qui quidem er-  
rores / respectiue / quam sint pestiferi / quam perniciosi /  
quam scandalosi / quam piarum / & simplicium mentiū  
seductiui / quam deniq; sint contra omnem charitatem /  
B



ac. S. R. E. matris omnium fidelium / & Magistre fidei  
reuerentiam / atq; neruum ecclesiastice discipline, obedi  
entiam scilicet / que fons est / & origo omnium virtutū /  
sine qua facile vnusquisq; infidelis esse conuincitur / ne  
mo sane mentis ignorat. Nos igitur in premissis / vtpo  
te grauissimis / propensius ( vt decet ) procedere / nec nō  
huiusmodi pesti / morboq; canceroso / ne in agro Do  
minico tanq; vepris nociua vltius serpat / viam præ  
cludere cupiētes / habita super predictis erroribus / et eo  
rū singulis, diligenti trutinacione / discussione / ac distri  
cto examine / maturaq; deliberatiōe / omnibusq; rite pē  
satis / ac sepius ventilatis cum venerabilibus fratribus  
nostris. S. R. E. Card. ac Regularium ordinum Priori  
bus / seu ministris generalib<sup>9</sup> / pluribusq; alijs sacre theo  
logie / nec non vtriusq; iuris professoribus / siue Magis  
tris / & quidē peritissimis, Reperimus eosdē errores / re  
spectiue ( vt prefertur ) aut articulos nō esse Catholicos  
nec tanq; tales esse dogmatizandos / sed contra Catho  
lice ecclesie doctrinam, siue traditionem atq; ab ea verā  
diuinarum scripturarum receptam interpretatiōem / cu  
ius auctoritati ita acquiescendum censuit Augustinus /  
vt dixerit se Euangelio non fuisse crediturum nisi eccles  
ie catholice interuenisset auctoritas. Nam ex eisdem er  
roribus / vel eorum aliquo / vel aliquibus palam sequit  
eandem ecclesiam / que Spiritu sancto regitur / errare &  
semp errasse . Quod est vtiq; cōtra illud / quod Christ<sup>9</sup>  
discipulis suis in ascensione sua ( vt in sancto Euāgelio  
Mathei legitur ) promisit / dicens / Ego vobiscum sum  
vsq; ad consumationem seculi. Nec nō contra sanctoꝝ  
Patrum determinationes / Conciliorum quoq; / & sum



morꝝ Pontificū expressas ordinationes / seu Canones /  
quibus nō obtemperasse, omnium heresum / & scismas-  
tum, teste Cypriano, fomes, & caussa semp fuit. De eo-  
rūdem itaqꝫ venerabilium fr̄m nr̄orꝝ Consilio / & assensu /  
ac omnium & singulorum predictorum matura de-  
liberatione predicta / auctoritate omnipotentis Dei / &  
beatorum Apostolorum Petri & Pauli / & nostra / pres-  
fatos omnes & singulos articulos, seu errores, tanqꝫ (vt  
p̄mittitur) respectiue hereticos / aut scādalosos / aut fal-  
sos / aut piarꝝ auriū offensiuos / vel simpliciū mētium ses-  
ductiuos / & veritati catholice obuiantes dānamus / re-  
probamus / atqꝫ oīno reijcimus / ac p̄ dānatis / reproba-  
tis / & reiectis ab oībus vtriusqꝫ sexus Ch̄ri fidelibus ha-  
beri debere, harꝫ serie decernimus & declaramus. Inhi-  
bentes in virtute sancte obediētie / ac sub maioris excō-  
mūicatōis late sentēcie. Nec nō quo ad ecclesiasticas / &  
regulares p̄sonas, Ep̄aliū oīum etiā Patriarchaliū / Me-  
tropolitān. & aliarꝫ Cathedraliū ecclesiarꝫ / Mōasterio-  
rū quoqꝫ & Prioratuū / etiā Conuētualium / & quorum-  
cūqꝫ dignitatū / aut beneficiorꝫ ecclesiasticorꝫ / seculariū  
aut quorūuis ordinū regulariū / priuationis / & inhabi-  
litis ad illa / & alia in posterū obtinēda. Quo vero ad  
Conuētus / capitula / seu domos aut pia loca / seculariū /  
vel regulariū / etiā mendicantiū / nec nō vniuersitatis esset  
studiorꝫ generalium / quorumcūqꝫ priuilegiorꝫ / Indulto-  
rum a Sede Apostolica / vel eius legatis / aut alias quo-  
modolibet habitorum / vel obtentorꝫ cuiuscūqꝫ tenoris  
existent. Nec non nominis / & potestatis studium Ges-  
nerale tenēdi / legēdi ac interpretādi quasuis sciētias / & fas-  
cultates & inhabilitatis ad illa / & alia i posterū obtinēda

B ij



Predicationis quoque officii / ac amissionis studij gene-  
ralis / & omnium priuilegiorum eiusdem. Quo vero ad  
seculares eiusdem excommunicationis / nec non amissio-  
nis cuiuscunque Emphyteosis / seu quoruncunque feudoꝝ /  
tam a Rho. Ecclesia / quam alias quomodolibet obten-  
torum / ac etiã inhabilitatis ad illa / & alia imposterũ ob-  
tinẽda / Nec nõ quo ad omnes / & singulos superius no-  
minatos / inhibitionis ecclesiastice / sepulture / inhabilita-  
tisque ad omnes & singulos actus legitimos, infamie / ac  
diffidatõis / & criminis lese Maiestatis / & hereticorum /  
& fautorum eorũdem in iure expressis penis / eo ipso &  
absque vltiori declaratione / per omnes / & singulos su-  
pradictos / si ( quod absit ) contrafecerint / incurrendis.  
A quibus vigore cuiuscunque facultatis / ac clausularum etiã  
in Confessionalibus quibusuis personis / sub quibusuis  
verborum formis contentarum / nisi a Romano Ponti-  
fice / vel alio ab eo ad id in specie facultatẽ habente / pre-  
terque in mortis articulo cõstituti / absolui nequeant. Om-  
nibus & singulis vtriusque sexus Chri fidelibus / tã laicis  
quã clericis / secularibus / & quorumuis ordinum regula-  
ribus / et aliis quibuscunque personis / cuiuscunque stat⁹ / gra-  
dus / vel cõditionis existat / & quacunque ecclesiastica / vel  
mundana prefulgeant dignitate / etiam Sancte Romane  
Ecclesie Cardinalibus / Patriarchis Primatibus / Ar-  
chiepiscopis / Episcopis / Pãriarchalium / Metropolitana  
& aliarum Cathedralium / Collegiatarum / ac inferiorum  
ecclesiarũ Prelatis / clericis / aliisque personis ecclesiasticis /  
secularibus / & quorumuis ordinum / etiam mendicanti-  
um / Regularibus / Abbatibus / Prioribus / vel Ministris  
generalibus / vel particularibus fratribus / seu Religio-



lis/exemptis/& non exemptis. Studiorum quoque vni-  
uersitatibus/secularibus/& quorumuis ordinum/etiam  
mendicantium Regularibus/Nec non Regibus/Impe-  
ratoris Electoribus/Principibus/Ducibus/Marchio-  
nibus/Comitibus/Baronibus/Capitaneis/Cōducto-  
ribus/Domicellis/ omnibusque officialibus/Iudicibus/  
Notarijs/ecclesiasticis & secularibus/Cōmunitatibus  
Vniuersitatibus/Potētatibus/Ciuitatibus/Castris ter-  
ris/& locis/seu eorum/vel earum Ciuibus/habitatoris-  
bus & Incolis/ac quibusuis alijs psonis/Ecclesiasticis/  
vel Regularibus (vt prefertur) per vniuersum Orbem  
vbicūque/prefertim in Alemania existentibus/vel p tē-  
pore futuris/ne prefatos errores/aut eorū aliquos, pers-  
uersamque doctrinam huiusmodi asserere/affirmare/des-  
fendere/p̄dicare/aut illi quomodolibet /publice vel oc-  
culte/quouis quesito ingenio/vel colore/tacite /vel ex-  
p̄sse fauere presumāt. Insup quia errores prefati/& plus-  
res alij cōtinentur in libellis/seu scriptis cuiusdam Mar-  
tini Luther/dictos libellos/& omnia dicti Martini scri-  
pta/seu Predicatiōes/in latino/vel quocūque alio ideōas-  
te reperiātur/in quibus dicti errores/seu eorum aliquis  
cotinentur/similiter damnamus/reprobamus/atque om-  
nino reñcimus/& p omnino damnatis/reprobatis /ac  
reiectis/vt p̄fertur/haberi volumus. Mandātes in vir-  
tute sancte obedientie/& sub penis predictis/ eo ipso in-  
currēdis/Omnibus et singulis vtriusque sexus Chri fides  
libus superius nomiatis/ne huiusmodi scripta/ libellos  
predicationes seu cedulas/vel in eis cōtenta Capitula/  
errores/aut articulos supradictos continētia/legere/as-  
serere/p̄dicare/laudare/imprimere /publicare/ siue des-

B ij



tendere/per se/vel alium/seu alios/directe/vel indirecte  
tacite/vel expresse/publice/vel occulte aut in domibus  
suis/siue alijs/publicis vel priuatis locis tenere quoquo  
modo presumant/quinimo illa statim post harum pu-  
blicationem vbiq̄ fuerint/per ordinarios, & alios su-  
pradictos diligēter quesita/publice, et solem̄iter in pre-  
sentia Cleri, & Populi, sub om̄ibus & singulis supradic-  
tis penis comburāt. Quod vero ad ipsum Martinum  
attinet/Bone Deus/quid pretermisimus/quid non feci-  
mus/quid paterne charitatis om̄issimus/vt eum ab hu-  
iusmodi erroribus reuocaremus? Postq̄ enim ipsum ci-  
tauimus miti⁹ cum eo procedere volentes / illum inuita-  
uimus/atq̄ tam per diuersos tractatus cum Legato no-  
stro habitos / quam per litteras nostras, hortati fuim⁹,  
vt a predictis errorib⁹ discederet/aut ad nos oblato eti-  
am saluo cōductu/& pecunia ad iter necessaria, sine me-  
tu/seu timore aliquo/ quem perfecta charitas foras mit-  
tere debuit/veniret/ac Saluatoris nr̄i/ Apostolic⁹ Pau-  
li exemplo, non in occulto / sed palam & in facie loque-  
retur/Quod si fecisset/pro certo (vt arbitramur) ad cor  
reuerfus/errores suos cognouisset /nec in Romana Cu-  
ria / quam tantopere / vanis maliuorum rumoribus /  
plūsq̄ oportuit/tribuendo vituperat/tot reperisset erra-  
ta/docuissimusq̄ eum, luce clarius /sanctos Romanos  
Pontifices predecessores nostros /quos preter omnem  
modestiam iniuriose lacerat /in suis Canonibus seu Cō-  
stitutionibus, quas mordere nititur, nunq̄ errasse/quia  
iuxta Prophetā/ nec in Galahad Resina / nec Medicus  
deest/sed obaudiuit semper/& predicta Citatione/ om-  
nibusq̄ et singulis supradictis sp̄retis venire contem-



psit / ac vsq; in presentem diem contumax / atq; animo  
indurato, censuras ultra Annum sustinuit / & quod de-  
terius est / addens mala malis / de citatione huiusmodi  
noticiam habēs / in vocem temerarie appellationis pro-  
rupit / ad futurum Concilium, contra Constitutionem  
Pij Secundi / ac Iulij Secundi prædecessorum nostro-  
rum, qua cauetur taliter appellantes Hereticorum pe-  
na plectendos ( Frustra etiam Concilij auxilium im-  
ploravit / qui illi se non credere palam profiteretur ) Ita vt  
contra ipsum / tanquam de fide notorie suspectum / im-  
mo vere Hereticum / absq; ulteriori citatione / vel mor-  
ra / ad condemnationem / & damnationem eius / tanquā  
Heretici / ac ad omnium / & singularum superscripta-  
rum penarum / & cēsurarum seueritatem procedere pos-  
semus / Nihilominus de eorundem Fratrum nostro-  
rum consilio / OMNIPOTENTIS DEI imitantes  
clementiam, qui non vult mortem peccatoris / sed ma-  
gis vt conueratur / & viuat / Omnium iniuriarum ha-  
ctenus nobis / & Apostolice Sedi illatarum obliuisci / om-  
ni qua possumus pietate vti decreuimus / & quantum  
in nobis est agere / vt proposita mansuetudinis via ad  
cor reuertatur / & a predictis recedat errorib; / vt ipsum  
tanq; filium illum prodigum ad gremium Ecclesie re-  
uertentem benigne recipiamus.

IPSVM IGITVR MARTINVM ET QVOS  
cunq; ei adherentes / eiusq; receptatores et fautores / per  
viscera misericordie Dei nostri / & per asperionem san-  
guinis Domini nostri IESV CHRISTI / quo, & per  
quem Humani generis redemptio / & Sancte Matris  
Ecclesie edificatio facta est / ex toto corde hortamur /



& obsecramus / vt ipsius Ecclesie pacem / vnitatem / &  
veritatem / pro qua ipse Saluator tam instanter orauit ad  
patrem / turbare desistant / & a predictis tam perniciosis  
erroribus prorsus abstineant / Inuenturi apud nos si effe-  
ctualiter paruerint / & paruisse per legitima documen-  
ta nos certificauerint / paterne charitatis affectum / & as-  
pertum mansuetudinis / & clementie fontem . Inhiben-  
tes nihilominus eidem Martino ex nunc / vt interim ab  
omni predicatione / seu predicationis officio omnino des-  
sistat / Alioquin vt ipsum Martinum / si forte iusticie / &  
virtutis amor a peccato non retrahat / Indulgentieque spes /  
ad penitentiam non reducat / penarum terror coherces-  
at discipline / Eundem Martinum / eiusque adherentes / com-  
plices / fautores / & receptatores tenore presentium req-  
rimus / & monemus / in virtute sancte obedientie / & sub  
predictis omnibus / & singulis penis / eo ipso incurren-  
do / districte precipiendo mandamus / quatinus infra Se-  
xaginta dies / quorum Viginti pro primo / Viginti pro  
secundo / & reliquos viginti dies pro tertio / & peremp-  
torio termino assignamus / ab affixione presentium in  
locis infra scriptis / immediate sequentes numerandos .  
Ipse Martinus / Complices / fautores / adherentes / & re-  
ceptatores predicti a prefatis erroribus / eorumque predi-  
catione / ac publicatione / & assertione / defensione queque /  
& librorum / seu scripturarum editione / super eisdem / si-  
ue eorum aliquo omnino desistant / librosque / ac scriptu-  
ras omnes / & singulas / prefatos errores / seu eorum alia  
quos quomodo libet continentes / comburant / vel com-  
buri faciant . Ipse etiam Martinus / errores / & assertiones  
huiusmodi omnino reuocet / ac de reuocatione huiusmodi



per publica documenta in forma iuris valida / in manibus duorum Prelatorum consignata / ad nos infra alios similes sexaginta dies transmittenda / vel per ipsum met ( si ad nos venire voluerit / quod magis placeret ) cum preuato plenissimo saluo conductu / quem ex nunc concedimus deferenda / nos certiores efficiat / vt de eius vera obediētia nullus dubitationis scrupulus valeat remanere. Alias si ( quod absit ) Martinus prefatus / complices, fautores, adherentes, et receptatores predicti fecus egerint / seu premissa omnia, et singula infra terminum predictum cum effectu non adimpleuerint / Apostoli imitantes doctrinam / Qui hereticum hominem / post primam et secundam correctionem / vitandum docuit / ex nunc pro vt ex tunc et econuerso / eundem Martinum / complices / adherentes / fautores / et receptatores prefatos / et eorum quemlibet / tanquam aridos palmites in CHRISTO non manentes / sed doctrinam contrariam / Catholice fidei inimicam / siue scandalosam / seu damnatam / in non modicam offensam Diuine maiestatis / ac vniuersalis Ecclesie / & fidei Catholice detrimentum / & scandalum dogmatizantes / & predicantes / Claves quoque Ecclesie / vilipendentes Notorios & pertinaces hereticos eadem auctoritate fuisse et esse declarantes eosdem vt tales harum serie condemnamus / & eos pro talibus haberi / ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus suprascriptis volumus & mandamus. Eosque omnes & singulos / omnibus supra dictis & alijs contra tales a iure inflictis penis presentium tenore subiicimus / & eisdem irretitos fuisse / & esse decernimus & declaramus. Inhibemus preterea sub omnibus / & singulis premissis

C



penis/ eo ipso incurrendis/ omnibus/ & singulis Xpi fi-  
delibus superius nominatis / ne scripta etiam prefatos  
errores non continentia / ab eodem Martino quomo-  
dolibet cōdita/ vel edita/ aut condenda/ vel edenda/ seu  
eorum aliqua/ tanq̄ ab homine Orthodoxe fidei Inimi-  
co/ atq̄ ideo vehementer suspecta / & vt eius memoria  
omnino deleatur de Xpi fidelium confortio / legere/ as-  
serere / p̄dicare/ laudare/ imprimere/ publicare/ siue de-  
fendere/ per se/ vel aliū/ seu alios / directe vel indirecte /  
tacite/ vel expresse/ publice/ vel occulte / seu in domib⁹  
suis/ siue alijs locis/ publicis / vel priuatis / tenere quo-  
quo modo presumant. Quinimo illa comburant ( vt  
prefertur ). Monemus insuper omnes/ & singulos Xpi  
fideles supradictos sub eadem excōmunicationis late  
sententie pena/ vt hereticos predictos declaratos/ & cō-  
demnatos/ mandatis nostris non obtemperātes / post  
lapsum termini supradicti euitēt/ & cōptum in eis est eui-  
tari faciant/ nec cum eisdem/ vel eorum aliquo/ cōmer-  
tium / aut aliquam conuersationem / seu cōmunionem  
habeant / nec eis necessaria ministrent. Ad maiorem p̄-  
terea dicti Martini / suorumq̄ complicū/ fautorum / &  
adherentiū/ ac receptatorum predictorum / sic post la-  
psum termini predicti declaratorum hereticorum , &  
condemnatorum confusionem / Vniuersis / & singulis  
vtriusq̄ sexus Christifidelib⁹, Patriarchis/ Archiep̄is/  
Ep̄is, Patriarchaliū, Metropolitanarū. & aliarum Cas-  
thedralium/ Collegiatarum/ ac inferiorum ecclesiarum  
Prelatis/ Capitulis, alijsq̄ personis ecclesiasticis/ secula-  
ribus / & quorumuis ordinum / etiam Mendicantium (   
presertim eius congregationis, cuius dictus Martinus



est p̄fessus, & in qua degere, vel morari dicitur) Regularibus, exemptis, & non exemptis, nec non vniuersis & singulis Principibus, quacūq; ecclesiastica, vel mūdana, fulgētibus dignitate/ Regibus/Imperatoris, Electoribus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis Communitatibus, Vniuersitatibus, Potentatibus, Ciuitatibus, Terris, Castris, & locis, seu eorum habitatoribus, Ciuibus, & Incolis /omnibusq; alijs & singulis supradictis, per vniuersum Orbem, presertim in eadem Alemania constitutis, mandamus, quatinus sub predictis omnibus/& singulis penis, ipsi/vel eorum quilibet prefatum Martinum, complices, adherentes, receptantes, & fautores personaliter capiant, & captos ad nostram instantiam retineant, & ad nos mittant. Reportaturi, pro tam bono opere, a nobis, & sede Apostolica renumerationem, premiumq; condignum, vel saltem eos, & eorum quemlibet de Metropolitana. Cathedralibus, Collegiatis, & alijs Ecclesijs, Domibus, Monasterijs, Conuentibus, Ciuitatibus, Dominijs, Vniuersitatibus, Communitatibus, Castris, Terris, ac locis respectiue, tam Clerici, & Regulares, quam laici omnes, & singuli supradicti omnino expellant. Ciuitates vero Dominia /Terras/Castra /villas /Comitatus /fortilia/oppida/& loca quecūq; vbilibet consistētia /earū/& eorum respectiue, Metropolitana. Cathedrales /Collegiatas/& alias ecclesias/Monasteria/Prioratus/Domus/Conuentus/& loca religiosa /vel pia /cuiuscūq; ordinis( vt prefertur ) ad que prefatum Martinum/vel aliquē ex p̄dictis decliare cōtigerit/q̄ diu ibi p̄māserint

C ij



& triduo post recessum / Ecclesiastico subiicimus inter-  
dicto . Et vt premissa omnibus innotescant / mandam⁹  
insup vniuersis Patriarchis / Archiepis / Episcopis / Pa-  
triarhaliū Metropolitan. & aliarum Cathedralium / ac  
Collegiatarum Ecclesiarum Prelatis / Capitulis aliisq̄  
personis ecclesiasticis / secularibus / & quorumuis ordi-  
num supradictorum regularibus / fratribus / religiosis /  
Monachis / exemptis & non exemptis / supradictis vbi-  
libet / presertim in Alemania, constitutis / quatinus ipsi /  
vel eorum quilibet sub similibus cēsuris / & penis / eo ip-  
so incurrendis / Martinum / omnesq̄ & singulos supra-  
dictos / qui elapso termino huiusmodi mādati seu mo-  
niti nris non paruerint / in eorū ecclesijs / Dominicis &  
alijs festiuis diebus / dum inibi maior populi multitudo  
ad diuina conuenerit / declaratos Hereticos & condem-  
natos publice nuncient / faciantq̄ & mādent ab alijs nū-  
ciari / & ab omnibus arctius euitari. Nec non omnibus  
Christi fidelibus / vt eos euitent / pari modo sub predi-  
ctis censuris & penis. Et presentes litteras vel earū trans-  
scriptum sub forma infra scripta factum in eorum ec-  
clesijs / Monasterijs / Domibus / Cōuentibus & alijs lo-  
cis / legi / publicari / atq̄ affigi faciant.

¶ Excōmunicamus quoq̄ / & anathematizamus om-  
nes & singulos cuiuscunq̄ status / gradus / condicionis  
preeminentie / dignitatis / aut excellentie / fuerint / qui q̄  
minus presentes littere / vel earum transcripta / copie /  
seu exemplaria in suis Terris / & Dominijs legi / affigi /  
et publicari possint / fecerint / vel quoquo modo procu-  
rauerint / per se / vel alium / seu alios / publice vel occulte  
directe vel indirecte / tacite vel expresse . Postremo quia



difficile foret presentes litteras ad singula quecūq; loca de  
ferri / in quibus necessariū foret / Volumus / & Aposto-  
lica auctoritate decernim⁹ / qđ earū transumptis manu  
publici notarij cōfectis / & subscriptis / vel in alma Vr-  
be Impressis / et sigillo alicui⁹ ecclesiastici p̄lati munitis /  
vbicūq; stetur / & plena fides adhibeatur / p̄t originalib⁹  
litteris staretur / & adhiberetur / si forent exhibite / vel  
ostense. Et ne p̄fatus Martinus / om̄esq; alij supradicti /  
quos presentes litteræ quomodolibet concernunt / ig-  
norantiam earundem litterarum / & in eis contentorū  
omnium / & singulorum pretendere valeant / litteras  
ipsas in Basilice Principis Apostolorum / & Cancellar-  
ie Apostolice / nec non Cathedralium Ecclesiarum /  
Brandeburgen̄. Misnen̄. & Morspergen̄. Valuis affigi  
& publicari debere volum⁹. Decernentes / quod earū-  
dem litterarum publicatio sic facta supradictum Mar-  
tinū / om̄esq; alios / & singulos prenomatos / quos  
littere huiusmodi quomodolibet concernunt / perinde  
arctent / ac si littere ipse die affixionis / & publicationis  
huiusmodi / eis personaliter lecte & intimate foret. Quū  
non sit verisimile / quod ea / que tam patenter fiunt / de-  
beāt apud eos incognita remanere. Non obstantibus  
Constitutionibus / & ordinationibus apostolicis, Seu  
si supradictis omnibus / & singulis / vel eorū alicui / aut  
quibusuis alijs a sede apostolica predicta / vel ab ea po-  
testatem habentib⁹ / sub quavis forma / etiam Confes-  
sionalis / & cum quibusuis etiam fortissimis clausulis /  
aut ex quavis causa / seu grandi cōsideratione / indultū /  
vel concessum existat / qđ interdici / suspēdi / vel excō-  
municari nō possint per litteras apostolicas nō faciētes

C iij



plenam / & expressam / ac de verbo ad verbū / nō autem  
per clausulas generales id importātes de indulto huius  
modi mentionem / eiusdem indulti tenores / causas / &  
formas / perinde ac si de verbo ad verbum infererētur /  
Ita vt omnino tollatur / presentib⁹ pro expressis habētes  
❶ Nulli ergo omnino hominum / liceat hanc paginam  
nostre damnationis / reprobationis / reiectionis / decre  
ti / declarationis / inhibitionis / volūtatis / mandati / hor  
tationis / obsecrationis / requisitionis / monitionis / afflig  
nationis / concessionis / condemnationis / subiectionis /  
excommunicationis / & anathematizationis infringere  
/ ve ei ausu temerario contraire . Siquis autē hoc at  
temptare presumpserit / indignationem omnipotentis  
Dei / ac beatorū Petri / & Pauli Apostolorū eius se no  
uerit incursturū . Datū Romę apud sanctū Petrū / An  
no incarnationis Dominice / Millesimo / Quingentesi  
mo / Vigesimo . XVII . Kalē . Iulij .  
Pontificatus            Nostri            Anno            Octavo .


Visa . R . Milanesius .

Albergatus .

❶ Impressum Romę per Iacobum Mazochium  
De Mandato . S . D . N . Papę .

Et postremo impressum Lipsię .












AB: 154775

(x 2217736)

187






VIAR  
152







Farbkarte #13

B.I.G.

# Bulla cōtra errores

MARTINI LVTHERI ET  
SEQVACIVM.

4

